

XIII.

Si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponso sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi qui matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. (Trid. Sess. 24. de ref. c. 1)

XIV.

Episcopi qui a crimine concubinae non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi. (Trid. Sess. 23. de ref. c. 44.)

XV.

Sacerdotes violantes decretum S. C. C. 9 Sept. 1874 circa eleemosynas missarum ipso facto incurrunt suspensionem a divinis S. Sedi reservatam; clerici vero nondum sacerdotio initiati ob idem delictum incurrunt suspensionem a susceptis ordinibus et praeterea inhabilitatem ad superiores ordines recipiendos. (1)

CAPUT IV.

DE INTERDICTO.

§ I. QUID ET QUOTUPLEX SIT INTERDICTUM.

621. DEFINITIO. Interdictum est censura privans usu seu participatione divinorum officiorum et aliquorum sacramentorum, necnon ecclesiastica sepultura.

Facile patet qua ratione interdictum a *suspensione* distet. Cum excommunicatione autem eatenus convenit quatenus utrumque iisdem spiritualibus bonis privat; sed ab eadem discrepat, tum quia excommunicatus iis bonis non immediate privatur, sed per viam consequentiae, vid.

(1) Quid hoc decreto statuatur recole n. 232.

quatenus a communione fidelium segregatur, tum quia excommunicatus multo pluribus ecclesiasticis bonis privatur.

Quandam similitudinem cum interdicto habet *cessatio a divinis*. Haec est quaedam divinorum officiorum negatio, quam Ecclesia clericis sub praecepto injungit in signum tristitiae conceptae ob gravissimam injuriam sibi et honori divino illatam et in illius reparationem, ut hac ratione cogatur delinquens desistere ab injuria et exhibere satisfactionem. (Schmalzgr. in l. 5. Decr. t. 39. n. 402) Numquam tamen censura est, nec personas afficit, nec a Jure fertur. Indicta cessatione a divinis etsi in rigore Juris nulla alia sacramenta administrari possunt nisi baptismus et morientibus poenitentia cum Viatico, probabilius tamen, ex benignitate Ecclesiae, eadem sacramenta tunc administrari et recipi possunt ac tempore interdicti. (Schmalzgr. l. c. n. 412 seqq.)

Formaliter tum ab interdicto, tum a cessatione a divinis differt *prohibitio celebrandi divina*, quae ipso jure inducitur per ecclesiae pollutionem vel execrationem (n. 242. VI; n. 243. VIII); quoad effectus tamen non levis similitudo viget.

622. DIVISIO. Interdictum multipliciter distinguitur:

1^o In *personale, locale et mixtum*, prout immediate afficit vel personam, vel locum, vel utrumque simul.

2^o In *generale vel speciale*. Generale est quod fertur in personam moralem, ex. gr. in capitulum vel universitatem (*generale personale*), vel in locum generalem plura partialia loca complectentem (*generale locale*), ex. gr. in universam nationem vel civitatem. Speciale est quod fertur in singularem personam (*personale speciale*), vel locum, ex. gr. in unam ecclesiam. Ex his solum interdictum personale speciale rationem censurae proprie dictae habet: quia ob contumaciam rei fertur et cum ea cessare debet. (1)

3^o In *totale et parziale*. Totale habet omnes effectus qui breviter in definitione indicati sunt; parziale, quosdam tantum ex illis. Inter partialia speciatim attendi meretur, utpote magis usitatum, interdictum *ab ingressu ecclesiae*. Haec est pars interdicti personalis specialis, ideoque per se vera censura, cujus violatio irregularitatem secum trahit. Qui eam incurrit, nequit fungi divinis officiis in ecclesia celebrandis, vel iisdem interesse; probabilius tamen non prohibetur quominus in ecclesia oret, vel sacramenta recipiat, vel etiam officiis intersit in oratorio privato. Insuper ecclesiastica sepultura donari nequit, nisi poenitens obiverit. (D'Annib. I. n. 377)

(1) Interdictum generale locale a praxi hodierna alienum est: nullum enim latum est ab an. 1606 quo Paulus V Venetorum rempublicam interdicto subiecit.

§ 2. QUI SINT EFFECTUS INTERDICTI.

623. Tres sunt totalis interdicti effectus, ut ex ejus definitione patet, videlicet :

1^o Prohibentur **divina officia**. Hoc nomine veniunt ea omnia quae obeuntur cum apparatu et vestimentis quorum usus solis licet ministris ordinatis, ut si cum superpelliceo et stola Horae Canonicae recitentur. (Suar. de Cens. disp. 34. sect. 3) Licet tamen verbi divini praedicatio. Deinde in interdicto locali speciali semel in hebdomada (Decr. l. 5. t. 39. c. 57), et in generali singulis diebus (6ⁱ Decr. l. 5. t. 11. c. 24), licet Missam celebrare et alia obire divina officia, submissa tamen voce et januis clausis, excommunicatis ac specialiter interdictis exclusis et campanis etiam non pulsatis. Tandem (6ⁱ Decr. l. c.) in festivitibus Natalis Domini, Paschae, Pentecostes et Assumptionis B. M. V., licet pulsatis campanis et alta voce divina officia sollemniter celebrare, solis excommunicatis exclusis.

2^o Prohibentur ministrari in loco interdicto vel personis interdictis **quaedam sacramenta**, vid. Eucharistia, excepto Viatico; extrema unctio, excepto probabilius casu moribundi qui confiteri non potuerit (D'Annib. n. 374. nota 37); ordo. Igitur licet administrare baptismum, confirmationem, poenitentiam (exceptis iis qui interdicto per scelus suum occasionem dedere, nisi pro delicto satisfecerint vel de satisfactione idoneam cautionem dederint), matrimonium, omissa benedictione nuptiali.

3^o Prohibetur **sepultura ecclesiastica**, quae in interdicto locali ne infantibus quidem dari potest. Clerici tamen qui nec nominatim interdicti sunt, nec interdictum violarunt, possunt, vigente interdicto generali locali vel personali, sepeliri in ecclesia, etiam cum Missa, sed absque pompa; in ecclesia vero specialiter interdicta, sepeliri quidem possunt, sed sine Missa. (S. Alph. n. 335)

Obligatio servandi interdicti per se gravis est, ut ex argumenti natura liquet. Quandoque tamen, ob materiae parvitatem, violatio interdicti non nisi levem culpam constituit. Id contingere potest tum in laicis, puta si interdictum locale tantum violant assistendo divinis officiis, tum in clericis, si brevi tempore ostium ecclesiae apertum relinquunt, dum Sacrum celebrant. (S. Alph. n. 336)

§ 3. QUAE NAM INTERDICTA HODIE VIGEANT.

Interdicta Rom. Pont. specialiter reservata.

I.

624. Qui, episcopali caractere insigniti, ecclesiarum vacantium curam, regimen et administrationem transferunt vel suscipiunt in casibus recensitis Const. Romanus Pontifex. (n. 502)

II.

Interdictum Rom. Pont. speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Rom. Pont. pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia. (Bulla Apost. Sedis)

Interdicta nemini reservata.

I.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato iudice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint. (1)

625. *Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina...* His verbis soli clerici designantur, sive saeculares, sive regulares, cum ad reliquos non pertineat divina celebrare vel celebrari facere. Immo *celebrari facientes* probabilius ii tantum dicendi sunt, qui potestate quam in loca sacra habent, utuntur ut prohibitam celebrationem promoveant. Divina autem hic intelleguntur ea officia, quae tempore interdicti localis prohibentur. (n. 623)

Nominatim excommunicatos ad divina officia seu ecclesiastica sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittentes. His verbis ii tantum designantur ad quos pertinet jus prohibendi vel admittendi,

(1) Hoc interdictum ponimus inter nemini reservata, quia opinamur cum Piato (in h. l.), Penn. (II. p. 517), etc. illud, praestita competenti satisfactione, statim cessare nec opus esse absolute. Si enim nulla absolute opus est, non apparet quare censura haec dicatur reservata ei cujus sententia contempta fuerit, ut quidam AA. scribunt.

ex. gr. quia ad eos pertinet custodia ecclesiae vel coemeterii. Sufficit autem ut, cum facile possint obsistere, non obsistant quominus nominatim excommunicatus assistat divinis officiis, etc. Nec putamus probabilem esse contrariam sententiam quam D'Annib. (in h. l.) promit: qui verbum *admittentes* nostro plane sensu interpretatur, ubi explanat excommunicationem latam contra admittentes intra clausuram monialium. Ab ea censura excusat metus, non quilibet, sed gravis tantum: siquidem hic non additur *sponte*.

II.

Metropolitanus episcopus absentes (ultra secundum semestre tempus), Metropolitanum vero (pariter) absentem suffraganeus episcopus antiquior residens sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras seu nuntium Rom. Pontifici denuntiare teneatur. (Trid. Sess. 6. de ref. c. 1)

III.

Ecclesiastico interdicto subjacent Capitula Ecclesiarum quae, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam aut litteras dimissorias concesserint alicui qui beneficii ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione artatus non fuerit. (Trid. Sess. 7. de ref. c. 10)

626. SCHOLION DE PRIVATIONE ECCLESIASTICAE SEPULTURAE.

Cum haec poena ab excommunicatione et interdicto inducatur, et frequentius quam reliquae ecclesiasticae poenae dubiis occasionem praebeat, juvabit eam breviter explicuisse.

Sepultura ecclesiastica duo complectitur: humationem in loco qui sit ab Ordinario sepeliendis fidelium cadaveribus deputatus, et probabilius ab eodem benedictus (n. 609); ritum exsequiarum in Rit. Rom. (t. VI) descriptum. Denegatio igitur ecclesiasticae sepulturae ab utroque arcei, et graviter peccat quicumque alterutrum, contra Ecclesiae prohibitionem, libere praestat. Qui tamen remote cooperantur sepelientibus, ex. gr. scrobes fodiendo vel claves coemeterii tradendo, per se a gravi et saepe etiam a levi peccato immunes erunt. (Suar. de Cens. disp. 13. Sect. 4)

Sunt autem ecclesiastica sepultura donandi ii omnes et soli qui in communione fidelium defuncti sunt, neque per canones hoc honore indigni declarantur. Nam, cum eadem sepultura pars sit communionis catholicae, illicite denegaretur iis qui in ea communione defuncti sunt, neque ab auctoritate ecclesiastica hoc jure privati fuere; immo gravem injuriam defuncto ejusque familiae faceret qui eam talibus denegaret.

In dubio num aliquis sit sepultura donandus, clerici consulere debent Ordinarium. Idem, quatenus fieri potest, faciendum si quando grave damnum timeretur ex ejusdem denegatione. Postulat enim rectus ordo et ab ipso Rit. Rom. (Tit. VI. c. 2. n. 7) edicitur ut hujusmodi graviora negotia, ad externam gubernationem spectantia, ad superiorem auctoritatem deferantur. Si consuli non posset Ordinarius, manente dubio vel imminente gravi damno, concedenda esset ecclesiastica sepultura, dummodo absit contemptus religionis et scandalum fidelium. Nam in dubiis favendum est reo, neque leges ecclesiasticae urgendae sunt ubi imminet grave damnum, praesertim commune.

627. Ut ex dictis patet, ad **duplicem classem** referri possunt quicumque sepultura ecclesiastica prohibentur (Aichner. Comp. J. Eccl. § 205):

I. Qui ab **Ecclesiae communione separati** vixerunt et in hoc statu defuncti sunt. His applicanda venit regula Innoc. III (Decr. l. 3. t. 28. c. 12): "Sacris est canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis non communicemus defunctis." Tales sunt:

1º Omnes non baptizati, ut Judaei, ethnici, infantes, etiam parentum fidelium. (Rit. Rom. l. c.) Plerique etiam catechumenos comprehendunt (Schmalzgr. in Decr. l. c. n. 49); sententia tamen contraria non videtur improbabilis, siquidem Conc. Baltim. II statuit (n. 390) eos sepultura donari posse, qui se baptismo suscipiendo accingebant, eo quod baptismo flaminis purificati supponendi sunt.

2º Excommunicati saltem vitandi. Cfr. n. 585. VIII.

3º Haeretici, schismatici et apostatae notorii. Cfr. n. 221. Attamen, si quis ex iis saltem probabiliter cum Ecclesia reconciliatus obiit (n. 298), licebit eum, secluso scandalo, sepultura ecclesiastica donare. (Gury, Cas. II. p. 191) Insuper *ad vitanda graviora mala* tolerari potest ut consanguinei acatholici inferantur sepulcro gentilitio familiarum catholicarum. (S. Inqu. 30 Mart. 1859; Coll. P. F. n. 1603) (1)

4º Interdicti nominatim et qui sunt in loco interdicto, eo durante. (Rit. Rom.) Posteriores tamen alibi sepeliri possunt.

Similiter per se graviter illicitum est catholicos coemeteriis heterodoxorum inferre: quia redolet quendam cum eis communicationem in divinis. Id tamen licitum fit ob justam causam, ex. gr. ut quis sepeliatur in sepulcro hereditario vel cum conjuge sua, dummodo removeatur

(1) Eadem S. Inqu. 4 Jan. 1888 declaravit tantum in sensu hujus responsi, vid. *ad praecavenda majora mala*, intellegendum esse decretum 389 Conc. Plen. Baltim. II quo idem ex mente Sedis Ap. tolerari posse edicitur. (Coll. P. F. l. c.)

quaevis velitae communionis species. (D'Annib. I. n. 114) Ideo Conc. Balt. II (n. 392) et Conc. Baltim. III (n. 317 seqq.) permiserunt, ut seclusa speciali prohibitione ab episcopo ob graves causas facta, cum solitis exsequiis sepeliantur catholici qui bona fide acquisiverunt fundum in coemeterio alieno, etiam ubi adest coemeterium catholicum.

628. II. Qui, licet in communione catholica obierint, **gravissima delicta commiserunt** ob quae per sacros canones ecclesiastica sepultura privantur, Tales sunt :

1° Duellantes, qui in ipso conflictus loco, etiam datis poenitentiae signis et absoluti, decesserint; quin etsi extra conflictus locum, sacramentis muniti, ex vulnere in duello accepto, obierint. (Bened. XIV, Const. *Detestabilem*) Attamen haec posterior ordinatio in quibusdam locis in desuetudinem abiit. (Aichner, l. c.) Immo Conc. Prov. Rhemense (an. 1849) excipit omnes qui adhuc viventes poenitentiae signa dederint. Hanc exceptionem censemus fieri posse etiam ubi de praefata consuetudine nihil constat, si, propter laxatam plurimorum fidem, rigor legis in scandalum et detrimentum religionis potius quam in aedificationem cederet.

2° Manifesti et publici peccatores, qui sine poenitentia perierunt (Rit. Rom.), ex. gr. post vitam in concubinato actam. His adnumerandi sunt qui in ipso actu gravis criminis moriuntur, ex. gr. latro ab eo quem occidere volebat occisus, et ii qui, imminentis sibi mortis conscii, Ecclesiae sacramenta publice et praefracte respuerunt. Similiter ii qui notorie pertinebant ad aliquam sectam ab Ecclesia reprobata, nisi debita retractatione emissa, per absolutionem Deo et Ecclesiae fuerint reconciliati. Si quando vero iidem morte praeventi retractationem rite emittere non potuerint, nihilominus ante mortem signa poenitentiae et devotionis dederint, tunc poterit eis concedi sepultura ecclesiastica, vetitis tamen ecclesiasticis pompis et sollemnitatibus exsequiarum. (1) Ita respondit 10 Maii 1898 Em. Card. Praefectus S. C. de P. F. interrogatus de iis qui nomen dederint secretae societati *Odd fellows* in Stat. Foed. Amer. Idem a fortiori dicendum de adscriptis sectae Franco-murorum vel alii cujus membra excommunicatione percellantur. (n. 596)

Attamen in his omnibus requiruntur sequentes condiciones : ut certe constet de peccato tum materialiter, tum formaliter gravi; ut peccatum

(1) Hac clausula prohibetur quominus exterior apparatus adhibeatur, puta ne campanae pulsentur, ne cantentur Missa et absolutio defunctorum, etc. Attamen Ordinarii erit videre num forsitan, ob damnum vitandum vel inolititas consuetudines, in casibus particularibus solitus ritus exsequiarum concedendus sit.

sit majori parti civitatis vel oppidi notum; ut certe constet eos sine ullo poenitentiae signo obiisse; ut eorum impenitentia sit adeo publica, ut sepultura ecclesiastica eis sine novo scandalo dari nequeat. (Aichner, l. c.) Ideo non est sepultura ecclesiastica deneganda :

a) Iis qui in ebrietate moriuntur : quia dubitari poterit num haec fuerit plene voluntaria. (D'Annib. I. n. 114. nota 30)

b) Iis de quibus vel unus testis refert eos poenitentiae signa dedisse, puta confessarium arcessendo, res sacras deosculando, Deum invocando. (D'Annib. l. c. nota 32)

c) Iis qui sacramenta respuerunt, aliqua spe vitae protrahendae delusi, vel ita ut denegatio non fuerit vulgo nota.

3° Suicidae, nisi ante mortem dederint signa poenitentiae. (Rit. Rom.) Sed de his omnino constare debent haec duo :

a) Eos sibimetipsis mortem intulisse. Quare si quis reperitur aquis suffocatus, pugione transfossus, etc., praesumendum est eum vel casu interiisse vel ab alio interfectum esse, donec contrarium probetur.

b) Eos id egisse mentis suae compotes. Hoc tamen praesumendum est, sed facile evadit dubium ob indicia mentis insanientis, puta si suicida se gravi tristitiae dederat. Juxta resp. S. Inqu. (16 Maii 1886; Coll. P. F. n. 1605), quando de insania suicidae dubium superest : " dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et sollemnitatibus exsequiarum. " Saepius nostris diebus quam antea conandum erit ut suicidae ritu catholico sepeliri queant, ubi timendum est scandalum exsequiarum mere civilium. Attamen cavendum est ne id concedatur ubi nulla seria amentiae signa praecesserant : ita enim non tantum Ecclesiae lex posthaberetur, sed minueretur in populo christiano horror suicidii, ad quod materialismus tam vehementer impellit, vel etiam turpis lucri species haberetur, praesertim si exsequiae ecclesiasticae ditioribus facilius quam pauperibus concederentur.

4° Qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt. (S. Inqu. 15 Dec. 1886; Act. S. S. t. 24. p. 63) Nec pro iis licet applicare Missas publice, sed privatim tantum. (S. Inqu. 27 Jul. 1892; N. R. Th. t. 27. p. 128) Quotiens vero agitur de iis quorum corpora, non propria ipsorum, sed aliena voluntate cremationi subjiciuntur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi possunt remoto scandalo, tum domi, tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse. (Decr. cit. 15 Dec. 1886) Idem videtur dicendum de iis qui, licet ipsi jusserint comburi cadaver suum, supponi possunt egisse bona fide, ignorata Ecclesiae prohibitione, vel hanc voluntatem a se olim expressam non renovarunt, quamquam eandem, ob incuriam con-

fessarii, temporis carentiam aliamve rationem, non retractaverint. Etenim in iis deest culpa formalis gravis vel saltem non constat eos in prava illa voluntate usque ad mortem perseverasse. Plerumque tamen hic erit unus e casibus dubiis in quibus consulendus erit Ordinarius.

Quo melius haec nupera decreta, intellegantur, juvabit breviter hic referre quatenus et quas ob rationes Ecclesia **cadaverum cremationem** prohibeat.

Imprimis mos humandi cadavera, quem ab exordiis suis Ecclesia catholica tenuit, et tamquam sibi proprium introduxit in regiones quae morem cremandi cadavera sequebantur, a catholicis ubique servandus est. Haec obligatio speciatim elucet e ritibus exsequiarum, in Rituali Romano descriptis et ad morem humandi cadavera accommodatis. Nulli enim fidelium licet Ecclesiam cogere ut a sua liturgia recedat: quod fit ab iis qui suum vel alius fidelis cadaver comburendum tradunt. Quare etiam in regionibus quae hucusque morem cremandi cadavera retinuerunt, ut in quibusdam Indiarum partibus, fideles docendi sunt defunctos christiano more humandos esse, quamquam interdum Missionarii ad majora mala vitanda, passive se habere possunt dum sciunt alicujus neophyti corpus crematum iri. (S. C. de P. F. 27 Sept. 1884; Coll. P. F. n. 1608) Liceret tamen ob justam causam, in casibus particularibus cadavera fidelium comburere, ex. gr. si deficiente idoneo sepulturae loco, medici id judicarent expedire ad periculum contagionis avertendum. Sic, cum tacito consensu Ecclesiae, quandoque eorumdem corpora exenterantur, membratim secantur, igne decoquuntur, ad studia anatomica provehenda vel sceleris vestigia detegenda: neque ullatenus id existimatur adversari Decretali (Extrav. Comm. l. 3. t. 6. c. 1), qua Bonifacius VIII severe reprobatur morem ita tractandi fidelium cadavera, eaque solita sepultura donari jubet. (1)

Insuper specialis ratio habetur ob quam S. Sedes acriter obsistit iis qui morem cremandi cadavera in Europa promovent. Ut enim ex eorum scriptis factisque manifestum est, praesertim in Italia e qua idem motus in plures Europae regiones manavit, diserte intendunt tollere

(1) Nulla apparet verisimilis ratio ob quam Ecclesia in posterum ab antiquo suo more humandi fidelium corpora recedat. Sola enim ratio quae cum aliqua specie veritatis urgeri potest, vid. ex incommodis quae e more sepeliendi defunctos publicae sanitati oriantur, prorsus inanis videtur. Nam, dummodo coemeterium congruum situm occupet et corpora cum debitis cautelis humentur, nullum periculum inde sanitati imminet, nec probari potest ullam epidemiam ex hoc more ortum duxisse; immo multi tenent e crematione majora pericula sanitati imminere. De his videtur art. P. A. Perger S. J. in period. *Stimmen aus Maria Laach, zur Beurtheilung der Feuerbestattung* (1892) et Dr. Is. Bauwens, *Geschiedenis en beschrijving der lijkbehandeling en rouwplechtigheden bij de meeste volken.*

humationem, tamquam aptiorem ad veritates immortalitatis animae, resurrectionis cum Christo aliaque christiana dogmata typice populi oculis exhibenda, auferre coemeteria cum symbolis christianis quae iisdem apponi solent, uno verbo exsequias a moribus christianis ad ethnicos reducere. Id vel ex eo patet quod plures societates ad cremationem promovendam institutae cum franco-muratoribus similibusque sectis damnatis artam affinitatem habent. Ideo S. Inqu. 19 Maii 1886 (Coll. P. F. n. 1609) respondit illicitum esse tum mandare ut sua aliorumve cadavera comburantur, tum nomen dare societatibus praedictis: et si agatur de societatibus massonicae sectae filiabus, incurri poenas contra eas latas. (n. 596) Et SS. D. N. Papa Leo XIII responsum EE. PP. nedum confirmavit, sed praeterea jussit "per locorum Ordinarios edoceri fideles circa detestabilem hujusmodi abusum ab eoque totis viribus eos deterreri. Insuper S. Inqu. resp. cit. 27 Jul. 1892 edixit: "Numquam licere cooperari (cremationi) mandato vel consilio. Tolerari autem aliquando posse materialem cooperationem, dummodo: 1^o Crematio non habeatur pro signo protestativo Massonicae sectae. — 2^o Non aliquid in ipsa contineatur quod per se, directe atque unice exprimat reprobationem catholicae doctrinae et approbationem sectae. — 3^o Neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adstringi vel vocari in contemptum catholicae religionis. Ceterum, quamvis in hisce casibus relinquendi sint in bona fide, semper tamen monendi sunt ne cremationi cooperari intendant. Hinc etiam, ob gravem causam, videtur excusari cooperatio materialis illius qui cadaver consanguinei, heri, etc. ad ustrina comitatur, heredis qui non obstat quominus cadaver defuncti cremetur, quia sub hac condicione scriptus est heres, etc. Applicentur quae dicta sunt de funeribus civilibus Vol. I. n. 236.

Tandem si ageretur de crematione in aliqua regione vel civitate permittenda, catholici magistratus, deputati, etc., numquam huic consilio promovendo formaliter cooperari possunt; materialiter quandoque possent sub iis condicionibus quae requiruntur ad tolerantiam mere civilem falsi cultus, pravarum societatum, etc., concedendam. Cfr. Vol. I. n. 358; Lehmk. II. Append. n. XIX; Aichner, op. cit. § 205; D'Annib. I. n. 116.

Iis qui ecclesiastica sepultura privantur, minime adnumerandi sunt qui capitalem sententiam subeunt, nisi publice impenitentes obierint: Ecclesia enim suam sepulturam nulli denegat, cui sacramenta sua concessit. Rationabili tamen consuetudine fit, in quibusdam locis, ut iidem solitis exsequiarum honoribus priventur ad horrorem sceleris cunctis incutiendum. Nec jam speciatim commemorandi sunt ii qui communionem paschalem omittere consueverunt, quamquam, juxta c. *Omnis utriusque sexus* Conc. Lat. IV, viventes ab ingressu Ecclesiae arcentur

et morientes christiana carent sepultura. Istud enim interdictum est ferendae sententiae et, juxta declarationem S. C. Ep. et Reg. 14 Jun. 1596, Rit. Rom. eos tantum recenset " de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt sacramenta confessionis et communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt. „ Quare iis applicanda sunt quae supra statuta sunt de morientibus in publica impenitentia. (Aichner, l. c. nota 20) Igitur, nisi adsit statutum synodale in contrarium, qui a sacramentis in Paschate abstinebant, quoad cetera vero vitam scandalosam non ducebant, poterunt ecclesiastica sepultura donari: nam, praesertim ubi multi Paschale officium neglegunt, nullum novum scandalum datur fidelibus ubi hujusmodi homines donantur ecclesiastica sepultura, modo sacramenta in fine vitae non respuerint.

SECTIO II. — DE IRREGULARITATIBUS.

CAPUT I.

NOTIONES GENERALES.

§ I. QUID ET QUOTUPLEX SIT IRREGULARITAS.

629. DEFINITIO. Irregularitas, vi nominis primum ab Innoc. III (Decr. l. 1. t. 9. c. 10) usurpati, designat defectum qualitatis requisitae ut quis *regulae* seu canoni clericorum adscribatur. Recte autem, nostra sententia, definitur (neque enim omnes in hac re concordant): Impedimentum canonicum de se perpetuum, quod per se primario ordinibus suscipiendis et secundario iisdem exercendis obstat.

Impedimentum canonicum. Igitur omnis irregularitas e canone seu Jure oritur, nulla per sententiam ab homine imponitur. Insuper ab irregularitatibus proprie dictis excluduntur inhabilitates ordinum suscipiendorum, quae e lege divina aut naturali oriuntur, quales occurrunt in mulieribus, infidelibus, absolute coactis. Nam proprie dicta irregularitas afficit eos tantum qui, spectata sola lege naturali aut divina,

ordinis suscipiendi capaces sunt, sed ab eo suscipiendo per legem canonicam removentur. Hinc etiam patet quare, ut innuit Bonif. VIII (6^o Decr. l. 5. t. 11. c. 18), nulla irregularitas incuratur, nisi in Jure expressa fuerit. Neque ulla lege vel consuetudine particulari novae irregularitates induci possunt.

De se perpetuum. Inhabilitates enim quae, absque dispensatione, tolli seu ipso facto cessare possunt, non sunt irregularitates proprie dictae, puta defectus aetatis vel scientiae sufficientis ad ordinem quemdam suscipiendum. Saltem haec est multorum et verior sententia, quamvis plures hanc condicionem perpetuitatis in definitione non ponant, vel etiam defectus hujusmodi inter irregularitates enumerent. Cfr. Gasparri, Tract. de S. Ordinatione, n. 169.

Quod per se... obstat. Hinc patet discrimen irregularitatis cum censura quae etiam saepe obstat ordinibus suscipiendis vel exercendis, non autem per se et directe, sed quasi per viam consequentiae ad poenam illatam. Igitur Ecclesia, dum impedimenta induxit, ante omnia intendit a clero arcere eos quos, ob reverentiam sacrorum ordinum, iis recipiendis indignos vel incapaces judicat. Si qui ergo ob aliam rationem ab iis suscipiendis arcentur, ex. gr. conjugati ne laedatur jus compartis, non sunt in proprio sensu habendi ut irregulares.

Primario ab ordinibus suscipiendis, secundario ab iisdem exercendis. Vid. Ecclesia, dum statuit irregularitates, imprimis intendit remove a clero eos qui, ob maculam quamdam voluntariam vel involuntariam, nequeunt decenter clericis aggregari; quodsi quis ex iis jam aggregatus sit, prohibet ne indecore exerceat ordines jam susceptos vel ad altiores ascendat. Ordines autem hic intelleguntur omnes, etiam prima tonsura: haec enim est praeparatio ad ordines, quae frustra datur iis qui ab ordinibus arcentur. Attamen, ubi de exercendis ordinibus quaestio fit, irregularitas minime prohibet quominus ordines minores exerceantur: quippe qui passim a laicis obeantur. Tandem certum est irregularis ordinationem esse graviter illicitam, minime vero invalidam. Nam, licet Ecclesia potuisset irritam facere collationem ordinum quos ipsa instituisse videtur (n. 425), numquam talem irritationem statuit.

Ex dictis apparet quisnam sit duplex immediatus irregularitatis effectus: impedire ab ordinum susceptione vel a susceptorum exercitio. Jurisdictionem vero non adimit irregularitas: ac proinde confessarius irregularis valide, quamvis illicite, absolvit. Per accidens eadem prohibet a recipiendis beneficiis, quibus adnexum sit officium, quo irregularis fungi nequeat; sed cum nullo claro Juris textu constet collationem beneficii irregulari factam esse invalidam, verius tamquam valida habenda est. (D'Annib. l. n. 401. nota 17)